



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Consolatio Desperantium, Seu Conciones De Magna Dei  
erga Peccatores serio poenitentes, comitate**

**Bosquier, Philippe**

**Coloniae, 1617**

III. Qvi Inter Christianos, Et aliquos hæreticos longißime à Christo Iesu  
absint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56142](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56142)

*Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis,*

Ausonius

*Dissidet ambiguus semper mens obuia rotis  
Nec voluisse homini satis est: optata recusant  
Esse in honore placet, mox poenitet.*

Liberum arbitrium nostrum est instar speculi, nunc hanc, nunc illam speciem recipientis: & ut materia prima cuiusvis formae capax est, & ut meretrix quemvis amatorem admittit. Quod itaque Publicani, & alij peccatores tot bona desideria, & proposita confitendi, & satisfaciendi habuerint, principium suae conuersionis faciētes aliquoulsque progressi erant: Sed haec omnia exigua erant, respectu illius, qui haec omnia & similia ipso actu cōplerat & executioni mandarat: longe itaque à portu, quem ingredi, & scopū, quem attingere oportebat, aberant. *Cum adhuc longè esset. Erant appropinquantes Iesu Publicani & peccatores, ut audirent eum.*

III.

**QVI INTER CHRISTIANOS, ET aliquos haeticos longissimè à Christo Iesu absint.**

**S**Eo ò bone Iesu! quam multi Christiani, Clerici & Laici, à te longissime elongantur? *Sicut populus, sic sacerdos: atque utinam pleriq; sic.* Certè omnibus fere distantis, quas enumeravi à te seiunguntur. Ad domum Pontificis Petrus sequebatur à longè secundum distantiam localem: An non localiter, saltem ut ipsi imaginantur, à te remotissimi sunt Athei nostri: qui aut nihil amplius quam Diagoras de Deo credunt; quamuis hoc ore confiteri non audeant, sed in corde & intra dentes mussitent, *Dixit insipiens in corde suo non est Deus:* aut qui opinantur Deum in caelis ita suis oblectamentis detentum teneri, ut neque mala, neque bona quae hic agimus, aduertat, ut Epicurus quondam opinatus est: sicut & illi qui dicunt.

*Psal. 13.*

*Dicit*

Dereliquit Dominus terram, & Dominus nos non videt: circa cardines cœli perambulatur, nec nostram considerat: aut qui ita viuunt, ac si non esset Deus, cui de infami vita ratio reddenda est: aut qui nostra non videret, aut ad ista omnia conuieret. Proh dolor multi inter nos professione & nomine sunt Christiani; viuunt tamen & faciunt, vt pagani, vt Turcæ; *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Vox quidem vox Iacob est; sed manus manus sunt Esau.* An non eodem sensu longissime à te absunt, ô bone Iesu! qui ita te cœlo & throno gloriæ inclusum putant, & ad dexteram Patris tantum consistere, vt negent te realiter & verè in Sacramento Altaris esse, sed tantum imaginariè & in figura? An non sic à te absunt Calvinistæ, adhuc in Schola Christi figuristæ? Nolunt enim credere te in Sacrificio Missæ manibus sacerdotis teneri, negant te in Monstrantijs, aut Ciborijs Ecclesiasticis post consecrationem, aut etiam post manducationem Sacramentalem in anima nostra præsentem esse, cum tamen per hoc Sacramentum sis nobis, *Emmanuel, Isai. 7. Emmanuel: nobiscum Deus: & Deus in medio eius non commouebitur. Psal. 45.* Illi etiam à Christo longe absunt, qui quamuis credant Christum in Sacramento realiter præsentem; tamen semel in anno tantum ipsum suscipiunt, & quis scit qua deuotione & reuerentia? idq; aut quia falsa imaginatione illusi dicunt, *Recede a me Domine, quia homo peccator sum:* aut, quia nullam diligentiam adhibent, vt se dignos reddant, & à maculis humana infirmitate inductis, expurgent. An non localiter à Christo absunt, qui se sinunt excommunicari, ab ingressu ecclesiæ arceri, ab vsu Sacramentorum prohiberi annos integros, aut quia absolutionem non procurant, aut quia ab vsuris, sortilegijs, & diuinationibus &c. non abstinent?

Quod autem distantiam temporis concernit, An non insigni periculo, ne in perpetuum à præsentia Dei & visione beatifica excludantur sese exponunt, qui à peccatis suis non conuertuntur, aut non nisi in sæculetate se conuersuros proponunt; cum scilicet,

E

iam

iam non ipsi peccatum sint deserturi, sed peccatum ipsos: aut si tempestiuè peccata sua deserant, tamen bona opera, tam meritoria, quam satisfactoria, non exercent; elemosinas non largiuntur, non orant, non ieiunant, cilicia non portant, humi non cubant &c. ac denique actionibus bonis à nullo barbaro distinguuntur; imò si vererentur se de meritis somniaturos cubitum non irent, ita enim omnia Christum promeritum putant, tam exactè ab ipso litrù pro nobis persolutum, ut ne quidem opus sit manum burse admoveere, id est, ut non opus sit, vel minimum ei cooperari; quæ sane hæresis directe S. Petro, totiq; Scripturæ contrariatur: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* Et quid quæso sibi voluit Christus cur toties suos ad tollendam crucem exhortatus est, si noluit nos cooperari? Et quando iussit tollere crucem & baiulare, quâ diu quæso voluit hoc nos facere? an solum usque ad mortem suam, & quo usque ipse pro nobis satisfecerit? an verò etiam post mortem usque ad consummationem sæculi? Si enim tantummodo crux baiulanda esset usque ad mortem eius, miseri illi fuissent, qui ante eam vixerunt, & nos felices, qui tardiusculè nati abrogata iam lege de tollenda cruce non tenebamur: sed absit; cur enim his solis crux imposita fuisset? *Nunquid iniquitas apud Deum?* An ipse personarum acceptor est? Deinde et dictis sequeretur crucem & Passionem Christi non æquè profuisse hominibus veteris Testamèti, ac novæ. Item, quod talis mediator, & quasi obles, qualis fuit Iesus Christus, non potuisset satisfacere pro illis Passione sua futura; sicut nunc pro nobis abundè satisfecit Passione præterita: cum tamen commune Theologorum decretum sit, quod quoad sufficientiâ æqualiter saluati & liberati sint per eandem Passionem Christi, ipsum præcedentes fide venturi Christi; cõtemporanei, & tunc temporis viuentes fide præsentis; posterius autem, sicut & nos, fide appèsi & iam dudum appensi litri per Iesum Christum; vnde etiam cum triumpho non vulgari Ierosolymam introeunti, & qui præibant, & qui

sequerentur

sequebantur acclamabant: *Hosanna filio David*; nam, *Copiosa apud eum redemptio*. Cū itaq; tot absurda, & a- *Pf. 129.*  
 perta inconuenientia Nepotum illorum, inimicorū  
 meritorum & Satisfactionum personalium sententiā  
 consequatur, eorū error subsistere nequit; sed omnia  
 contraria credenda & tenēda sunt: scilicet, quod sup-  
 posita Passione Christi, eiulq; satisficientissimo meri-  
 to, oportet insuper nos per propria opera pœnalia, &  
 afflictionis satisfacere, quod qui non faciet, longissi-  
 mo tempore ei in Purgatorio absq; visione Dei sui  
 permanendum erit, si non perpetuū in inferno, *Cum*  
*adhuc longe esset*. Similiter lōgē a palatio paterno ab-  
 suat, & in Purgatorio remanebunt, qui cum in pro-  
 pria persona, aut satisfacere non possint, aut nolint,  
 etiam indulgentias & Iubilæa Ecclesiæ negligunt, &  
 capillatam hanc occasionem pugno, aut vtriusq; quod  
 arunt, vlnis non arripiunt, aut excipiunt: cum tamē  
 thesauri Ecclesiæ omnibus manum porrigentibus fi-  
 deliter cōmunicentur. Omiseros stultos & vecordes!  
 O authentica, & optima fucata mundi stultitia!

*Æstas non semper fuerit composita nidos*

Et quid de distantia Affectionū dicam? vbi enim re-  
 penetur illa vnitas voluntatis nostræ cum Deo, vt di-  
 cere possimus, cor meum Dei est, & cor Dei cor meū,  
 seu, quod vult, volo; quod nō vult, nolo; *idē velle, idē*  
*nolle*: Bone Deus, quā hæc distantia grandis est? tam  
 vasta & immensa mihi certē videtur, vt merito de no-  
 bis dici possit: *Nunc Antagonista, & Antichristi multi*  
*sunt, & Antipodes*; ita enim contrarijs voluntatib; di-  
 ctis, & factis certatur, vt ostendant se Deū, aut parū,  
 aut frigidē amare: imō de quibusdam dicere licebit,  
 quod ipsum nondum cognouerint, & vel verbū de eo  
 inaudierint, in quos quadrat, *cū venerit filius hominis,*  
*pucas inuenies fidē*? An non signū exigui amoris est, tā  
 parū pro Christo velle pati? nolle vel vnā vigiliā ali-  
 cuius solennitatis vigilare, aut ieiunare, nolle humi  
 cubare, aliaue opera pœnalia exercere? Lydius lapis  
 veri amoris sunt opera difficilia propter amarum, aut  
 rem amatam suscepta: *Quis enim celauerit ignem* *Ouid.*

E 2

Lumi

*Greg.* Lumine, qui semper proditur ipse suo? & S. Greg. ait, *Hom. 30.* Probatio dilectionis exhibitio est operis. Verè Deum diligimus, si mandata eius custodimus; si nos à nostris voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria diffluit, profectò Deum non amat; quia ei in sua voluntate contradicit. Iacob se verum amantem ostendit, cum ut optatis suæ Rachelis potiretur amplexibus, quatuordecim annos auunculo suo Laban seruiuit, & cum multi dies essent, ipsi tamen pauci præ amoris magnitudine videbantur. Sichem filius Emor, ut Dinam à se violatam honori restitueret, & in matrimonium acciperet, cum aliter fieri non posset, adulta ætate se circumcidi passus est, ut sincerum amatorem se declararet. Perseus Aethiopiam peragrans, & captus amore Andromedis iam scopulo alligatæ, monstrisq; marinis expositæ, petitaq; acceptaq; ea prius à parentibus vxore, cum sauiissimo monstro duellum suscepit, illudq; confecit; sicut & Hercules amore Omphalos Reginae Lydiæ Draconem iuxta fluvium Sangarim internecioni dedit. Clarè etiam amorem suum erga Plangonem scortum Milesianum iuuenis ille ostendit, qui ut eius iram & zelum conceptum sedaret, pedibus illius aduolutus, & amare plorans dixit, se proprio manu proprium iugulum petiturum, nisi ipsam denuo in gratiam reciperet, & in tanto martyrio consolaretur. Fortiter quoq; amabat ille, qui

*1. Eleg. 7.* aiebat,

*Adde manus in vincla meas, meruere catenas,  
Nam furor in Dominam temeraria brachia mouit,  
Nec nostris oculis nec nostris parce capillis.*

Et quid? an non amor nonnullos ed adegit, ut ante fenestras amicarum se pensiles fecerint? *Alius ante fores pendit amica*, ait Seneca. Vidit aliquando pulchra Lorenzia, totius Italiae ocellus, ciuem suum ad eam amore dementatum, ut nunc amicae dixisset se tanta teneritudine ipsam amare, ut quicquid perijisset mor daturus esset, ac illa oculos miseri amantis postulasset; mox sibi erui curarit, & pixidulae inclusos amara transmiserit. Ita est Auditores mei, *Probatio dilectionis,*

exhibi-  
bant,  
signum  
Qui nos  
mei est  
Qui  
mena  
bum eis  
Qui  
eius m  
stodim  
saria n  
stra. co  
Si Her  
nolit m  
uam ai  
populu  
legi gra  
pæ fac  
modo s  
ardua d  
suis am  
martyr  
toti fla  
mortifi  
subtra  
Philose  
Prop  
actifon  
An n  
est, qu  
mentè  
citur, i  
bores,  
sonant  
Form  
Deus d  
Ecce  
Si obi  
mas.

exhibito est operis? Amorem non verba, sed facta probant, vbi itaq; pauca, aut nulla amoris opera sunt, signum euidentis est exigui amoris, & sic Saluator ait, *Qui non diligit me sermones meos non seruat: Vos amici mei estis, se feceritis, qua precipio vobis.*

Greg. loc. alleg.

Ioan. 14.

Ioan. 15.

1. Ioan. 2.

*Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. Qui autem seruat verbum eius, vere in hoc charitas Dei perfecta.*

Quid quaeso propter Deum agimus? quomodo eius mandata seruamus? quomodo eius consilia custodimus? si enim opera ad salutem nostram necessaria non praestemus, quomodo ea qua libertatis nostrae, consilij, & supererogationis sunt praestabimus? Si Hercules, vt ita dicam, in gratiam suae Omphales nolit manum fuso admouere, quomodo ferram clauam arripiet, leoninam pellem induet, & draconem populum eius deuastantem debellabit: Id est, Si nos legi gratiae, & dulci iugo mandatorum, quod animae praefacile & suaue est, colla nolimus submittere, quomodo tam multiplicia consilia eius, factu admodum ardua & difficilia, amplexabimur? Quomodo ob ipsius amorem mortem patiemur, vt quondam Sancti martyres, incarnati Seraphim, & amore Iesu Christi totum flagrantem fecerunt, si ne sensualitatem nostram mortificemus, aut leuiusculam delectationem nobis subtrahamus, quod omnes prohi imò & Gentiles Philosophi facere solent?

*Propter te mortificamur tota die, facti sumus sicut oues occisionis.* Psal. 48.

An non merito procul à Deo, aut Deus ab illis abest, quibus tam raro, aut saltem tam tepidè Deus in mentem venit: Qui seridè amat, rei amara non obliuiscitur, sed de ea loquitur, somniat, scribit: ligna & arbores, nemoraq; nihil aliud, quam nomen amarae resonant, iuxta illud Poetae, *Tu Tityre lentus in umbra Formosam resonare doces Amaryllida siluas.* vnde & Deus de amicis suis ait,

Virg. Ecloga 1.

*Ecce in manibus meis descripsi te.* Isai. 49.  
*Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera.* Psal. 136.

E 3

Sic

Sic & S. Paulus ad singula quæq; verba nomen Iesu Christi sonabat, in singulis epistolis aliquoties iterabat, ita vt Eckius testetur, illud quingenties in ipsius litteris iteratum reperiri. Sic Christū amabat S. Ignatius, in cuius corde nomē Iesus aureis litteris inscriptum post mortem deprehensum fuit, adeo vt merito *theopropos*, seu Deifer dictus sit, vt videre licet apud Ant. p. 1. Hist. t. 7 c. 1 § 11. & Metaphrastē, in vita eius.

Sed longissimē à Christo absunt nostri temporis hæretici, qui in ipsius imaginem, aut nobilissima trophæa victoriæ eius oculos conijcere dedignantur; nā sacras cruces ex Ecclesijs, Monasteriis, vijs, & triuijs eradunt & demoliuntur: omnes dies festos, & maximē illum in qua *Memoriam fecit Deus mirabiliū suorū*, cessare faciunt; Sacrificiū Missæ quantū possunt abolent, quod tamē in memoriā Passionis, in signū maximi amoris ab ipso Christo institutum. Reipsa clamat hæc impia natio, *Grauis est nobis ad videndū*, tã in imaginibus, quã in Sacramento, digna sanē à qua Deus vultū suum auertat, quãuis ad eius imaginē viuã & naturalem creati sint; sed in perpetuū dispedit, secundū illud Prophetiçū, *Domine qui elongant se à te peribūt*; interim tamē charitate ductus, Deum rogo, vt etiã illos eodē misericordiæ oculo, quo Prodigum nostrū, aliquãdo intueatur. Certè illi lōge à Christo absunt, eumq; parū amant, qui amantē non redamant, non proximorū qui sua membra sunt; non illos pro quibus ipse Deus, tam infamē & acerbā mortem pati dignatus est: *Qui amat me, amat & canem meum*, vt habet proverbiū etiam à S. Bernardo relatum, vnde meritō dilectus illo

2. Ioh. 4.

Domino & Magistro suo, ait, *Si quis dixerit quoniã diligo Deū, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suū, quem videt; Deum, quē non videt, quomodo potest diligere?* Sed longius adhuc inter Christianos à Christo absunt, qui adeo eius obliti, vt ipsam percutiant, imō & perimant: & quid ab amore alienius? Illi eum percutiunt qui blasphemant: *flagellatur blasphemijs falsorum Christianorum*, vt inquit Augustin.

Aug. Tra.  
in Ioh.

Illi eum crucifigunt & denuō perimunt, qui indignē corpus

corpus eius in sacra communione suscipiunt; nam ut ipse Paulus ait, *Quicumq; manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Iterū illi Christū crucifigunt, qui ex leuitate animi peccato mortali ipsam offendūt, *Rursū crucifigētes sibi metipsis filiū Dei, & offensui habentes.* Et quod quāto maioris distantiae in amore & affectione signū erit, quā si se mutuo percutiant, & quod in ipsis est, perimant & occidant? Præterea, ò bone Iesul quā longè adhuc à te absūm<sup>9</sup> propter extremā dissimilitudine vitæ vestræ ac nostræ! Imago quidem tua in nobis restat; similitudo tamē in pluribus Christianis erasa est, & in spongiā incubuit; atq; ita Aug. de se ait, *Inueni longe me esse à te Domine in regione dissimilitudinis.* Iam olim creati eramus ad imaginē & similitudinē Dei, ut scilicet Deū perfectā imitatione virtutū representaremus, liberalitatis, clementiæ &c sed ò nos miseros & cecos! elegimus poti<sup>9</sup>, & etiā nūc aliquādo eligim<sup>9</sup>, similes esse Diabolo & vitiōrū eius, ut ambitionis, superbiæ &c. imagines referre: *Eritis sicuti Dij*, dicebat Proto patribus nostris, cū in illis ei fidē adhibuim<sup>9</sup>. Postmodū Christ<sup>9</sup> fact<sup>9</sup> homo, tātū se humiliavit, mortib<sup>9</sup> nostris accommodavit, ut instar fidelis nutritis cū balbutiētib<sup>9</sup> quasi balbutiret; ut ipso facto ostēderet virtutes, quas cōmēdabat, vires nostras nō excederet, ac cōsequēter ad suā imaginē & similitudinē viuerem<sup>9</sup>. Et tamē quid? eque difficulter Deū hominē facerē, ac Deū purū nostris operib<sup>9</sup> exprimim<sup>9</sup>. Christ<sup>9</sup> à primo instati cōceptionis suæ perpetu<sup>9</sup> crucifer fuit, tā acerbos ex tūc in anima sua cruciatus perferēs, quā postmodū in mōte caluariz in corpore sustinuit: Tota eius vita nihil aliud erat, quā assidua crucis baiulatio, siue dormiret, siue oraret, siue ieiunaret, siue opprobria, & cōtūelias paciēter toleraret siue ouē perditā inquireret, *Quarēs me sedisti lassus.* Nostra autē vita pro maiore parte, aut in gaudio cōsistit, aut quietem, delicias, voluptates, (& q non?) desiderat & inquit. Nihil tā capitaliter odim<sup>9</sup> & detestamur, q verā crucē Iesu Chr. q̄ iā olim deplorabat Apo. dic. *Multi ambu-*

1. Cor. 10

Hebr. 6

Aug. 8. 7  
confes.

Genes. 2

Philip. 3

Phil. 3. *lant, quod sæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrenam sapiunt. Sin autem aliquando crucem Christi portemus, id fit, cum cruciculas argenteas, aureas, aneas, vel etiam ligneas ex collo nostro aut Rosarijs, ut modo loquimur, dependentes gestamus, & quidem non male: sed an non consultius & vtilius esset exteriores has, maxime admodum pretiosas, parum negligere, ut tanto melius sæpius, & maiore cum amore & affectus veram crucem Christi, & in animo, & in corpore gestaremus: Nō hæc dico, quod priscis illis Iconoclastis, aut modernis nostris Iconomachis fauceam; auertat Deus, absit a me, qui in regione, vrbe, à patre, matre, & familia superlatiue Catholicis natus & educatus sum: Bone Iesu, Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Hoc solū volo, hæc oportere facere, & illa non omittere: Inter duo bona melius commonstro, & dico, Deo gratius futurum, magisq; honoratum iri, si illius crucem mortificationis portemus; & per hoc amplius salutem nostram promouendam; Barbaros Iudæos, & omnes à nostra religione extortes facilius ad Deum, & Christianismum alliciendos & producendos assero; quam si solas imaginarias has cruces vera mortificationis cruce destituti circumgestemus. Certè, nonnullos Christianos potius iuratos sectatores Epicuri voluptatibus dediti, quam profesos discipulos Christi omnium voluptatum iurati-nimici, dicere licebit: si tamen ipsemet Epicurus quibusdam Christianis melior, sanctiorue non fuerit; quidam enim aiunt ipsum hominem sobrium fuisse, & cum in voluptate summum bonum constitueret, non intelligebat sordidas illas & infames corporis voluptates, sed honestam illam & interioris spiritus pacem & tranquillitatem, scilicet nulla afflictione, quæ animum rodat, laborare. nam Summa voluptas est, ut Epicuro placet, nihil dolere, inquit Cicero. Verè etiam dicemus eos potius pertinere ad regnum Sardanapali, quam regnum Christi, ita quidam suis volupt-*

Cicer. li. I.  
de finib.

voluptatibus dediti sunt, vt vorent, & ad fundum vsq; ciatchos toties euacuent, donec mensas ipsas vomitu conspuerent, inde ad lectū plane sui impotentes deferuntur, mane crudo stomacho, & vino nondum decocto, nouo se oneraturi, redeunt, ita vt aut orientem aut occidentem solem vix vnquam conspiciant. Alij à carnalibus suis desiderijs adeo absorbentur, vt putent suæ libidini vix omnes puellas & feminas suffecturas. Sed

*Nunc in Aristippi furtim praecepta relabor.*

*Horat. l. 1. a*

*ep. 1.*

Sunt aliqui, qui non curent quanti emanentur delicati palati edulia; vt ventri satisfaciant, nullis sumptibus parcant: & tamen se inopes conqueruntur si pauperi Lazaro, si inopi & honesto operario, aut panis particula, aut leuis eleemosina eroganda sit: de quibus Iuuenalis:

*Non habet infelix Numitor, quod mittat amico,*

*Iuuen.*

*Quintilla quod donet habet: nec desuit illi*

*Satyr. 7.*

*Vnde emeret multa pascendum carne leonem  
Iam dormitum.*

Homines dico eo fine natos, vt bibant, edant, dormiant, ac terræ fruges absumant, *fruges consumere nati*: homines comedentes, non vt viuant; sed viuentes, vt comedant, credentes hac vita nullam meliorem superesse. Obsecro itaq; vos Auditores, an in talibus vllam Christi similitudinem inueniatis, & an non longe à Christo absint? *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.*

*Gal. 5.*

*Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Fratres debites sumus non carni, vt secundum carnem ambulemus.*

*Gal. 6.*

*Rom. 2.*

Christus totus bonus est, totus dulcis, totus humilis, & de his virtutibus assidue concionatur:

*Discite à me quia mitis sum & humilis corde.*

*Matth. 23.*

*Estote simplices sicut columbae.*

*Ecce ego mitto vos sicut oves inter lupos.*

O quam longè ergò à Christo absumus? Cum enim deceret nos agnos & columbas esse, leones getuli sumus, feri, arrogantes, indignabundi, si quis vel transuersum nos inspiciat; si mendacium nobis objiciatur,

colaphum impingimus; pro colapho autē graue vul-  
nus infligimus; inimicorum sanguinē sitimus, leoni-  
bus ipsis, quos aliqualis submissio ad misericordiam  
mouet, multo minus placabiles. Mirū est, quod Agni  
carnes comedentes, toties in tam efferos leones eua-  
damus, id est, quod toties communicantes & carnem

*Chrysof.* elati, tumidi, vindictæ cupidi: *Lupi simus* inquit *Chry.*  
*Hdm. 8.* *Agnus comedentes; tanquā oues passi, more leonum diripi-*  
*in Math.* *mus. Christiani non pugnādo, sed moriendo vincūt,* inquit  
*August.* Aug. quo bellandi genere suos aduersarios vicerunt  
*ep. 42.* tria illa Heremitarum millia, aduersus quos quidam  
Lucius Arian, episcopus milites, centuriones, & Tri-  
bunos, seu venatores in feras emisit: Sed quid actum?

*Ruffin. lib* narrat Ruffinus, *Cū venissent nouam belli speciem vidēt,*  
*11. histor.* *hostes suos gladijs obieclare ceruices, & nihil aliud dicere,*  
*6. 3.* *quā, Amice ad quid venisti? Eodē animo S. Christop.*  
*Surtus* *lapā impingenti Praefecto respondit, Repercussissem te,*  
*Tom. 4.* *si Christianus non essem. Ecce hos veros Christianos, in-*

*i. Bonum*  
*Christi*  
*anum &*  
*filium*  
*Dei.*

factis ostentant cuius magistri discipuli sint: Sed nos, o  
tempora! o mores! vn<sup>o</sup> alterū prouocat; alteri vindi-  
ctā etiā duplā, & vltra rependit; aliū vulnerare, imō  
interficere in Ecclesia, vel ipsa ara ludo est: testimonio  
esse poterit sacrilegū illud homicidiū nuper Camera-  
ci in Eccles. B. Virginis tempore Sacrificij missæ sub  
ipsa cōcione ab Hispano in Hispanū commissū: Anno  
hunc *Bueno Christian* *ep. hijo dos Dios* nuncupabimust  
nullo modo; longe enim a Christo absunt, non meo  
tantū, sed omnium æquorū iudicū iudicio. *Cum ad hunc*  
*longe esset.* Longè, longè. Christus amicus paupertatis  
fuit, in paupertate à pauperibus parētib; sed hone-  
stis, in pauperi stabulo, cū instar Regis in Rom. capi-  
tolio, aut quouis Regali Palatio natei potuisset, natus  
est; pauper vixit, omnib; paupertatē volūtariā suabit;  
Apost. maiore ex parte pauperes elegit; totus nudus,  
vt pauper mortuus est; vt pauper in alieno sepulchro  
cōditus est, & vt natiuitati, & morti vita tota respōde-  
ret, ita vixit, vt *filium hominis nō haberet vbi caput reclinare-*  
ret.

CONCIO SECVNDA.

Quāuis enim eius sepultura, quoad aliquas circū-  
 stācias gloriosa fuerit, quoad syndonē & lintamina,  
 quib⁹ inuolutus, quoad vnguēta, quib⁹ inunct⁹; pri-  
 mō per praeoccupationē ante mortē, *Ad sepeliendū ma-*  
*fact.* 2. post mortē, *Aloēs quasi libras centū.* 3. post Resur-  
 rectionē in vnguētis, quē ipsi pręparauerāt bonę ma-  
 tronę, si nondū resurrexisset, *Emerūt aromata, ut veni-*  
*entes ungerēt Iesum:* nihilomin⁹ tamē sepultura pau-  
 peris fuit, cū non ex bonis defūcti relictis, sed ex mera  
 liberalitate diriorum defūcto pauperi vnctiones hęc  
 impēsę sint. Et quid nos? cōtraria omnia. diuites esse  
 volum⁹, & pauperatē cane & angue peius odim⁹, do-  
 mū domo, agrū agro, villā villę &c. copulam⁹, ita ve  
 periculū iterū sit ne *Roma domus fiat:* totius pagi, villę  
 castri vn⁹ ferē Dominus est; reliqui vix casas habēt,  
 aut potius cauernas in quas se recipiant & subducāt:  
 arcas nostras auro, argētōq; oneramus & farcim⁹, di-  
 uites, vt Crassus audiri gaudem⁹, *viri diuitiarū saluta-*  
*ri optam⁹,* veri Pluti, pręcursores Antichristij: Soli di-  
 uites, & benē nūmati in admiratione sūt, siue clerici,  
 siue laici, siue boni, siue mali, ita Diabolo illi *Argento*  
 & idolo *Mammonę* prosternimur; Pauperes Ies. Chri.  
 eiusq; imitatorē S. Francisc. qui voluerint, sequuntur:  
 Nihil hodie laudabile dicitur, q̄ argētū possidere, &  
 diuitē esse, *Quia tāti, quātū habes, sis* Quęro itaq; nū-  
 quid nō veri Christiani sum⁹, & viuę effigies proximę  
 pauperē Ies. Chri. repręsētātes: imō q̄ propē simia ad  
 humanā pulchritudinē, & rationē accedit, *cū autē ad-*  
*huc lōge esset.* Credo sane, si prisca illi Christiani boni,  
 seu mali ex celo, aut inferno ad nos redirēt, nullū ve-  
 stigij Christi quoad paupertatē in nobis reperirent,  
 maximē ab eo tēpore, quo homines quidā Quintę  
 essētia (quos etiā nō nominatos nostis) inter Christ.  
 autoritatē obtinuerūt. Vah! ò maledictā famē diui-  
 tiarū, infortunatū appetitū dignitatū, stultū deside-  
 riū superb. palati, & substruēt. hęc nos Patri nostro,  
 Romulo & fūdat. ciuitat. Dei, nostręq; Relig. archi-  
 tecto nostrę salutis, Ies. Chr. inq; dissimiles faciūt. Om-  
 nes cōcurrūt ad adorād. vitulos, vix vnus Tob. repe-  
 ritur, qui domi residēs adorat Deum, & paupertatem  
 Ies. Chri. alicuius pretij putat.

Horat. l. 2.  
 Sary. 4.

Char.

Charitas precor, quanta in Christo fuit, in nobis quantula est? ardebat in ipso charitas, tam Dei, quam proximi, ut in proprio fornace: Ita Christus amavit Patrem, ut pro redemptione generis humani, *Christus factus sit obediens usque ad mortem; mortem autem crucis?* quamvis ex hoc nullus ad ipsum fructus rediret; nam ut inquit Cicero, *Quid est amare (ex quo nomen amicitia ductum est) nisi velle bonis aliquem affici quam maxime; etiamsi ad se ex his nihil redeat?* Ita etiam amavit nos terra vermiculos, fallaces & putatitias umbras, & inanes bullas, ut propter nos quasi in nihilum se redegerit; nam teste Apostolo, *Exinanivit semetipsum homo & umbra factus, sicut & nos, & habitu inuenit, ut homo,* se medium opposuit, ut ictus & flagella in nos contorta ipse susceperet, imò & mortem iustineret, ut nobis vitam redderet. O verum Pellicanum! O verum Codrum, meliorem multum illo, qui pro salute suorum Atheniensium periit! Et cur quare nos a deo dilexit? an forte ipsi aliquid decessisset, si nos saluari non fuisset? nehilus quidem: At forte aliquid ei nostra redemptio profuit? nihil, nisi quod honorificum sit & gloriosum tanta bona, tam abiectis & ingratis creaturis præstitisse; *semper enim servi inutiles sumus.* Sed qualis in nobis est charitas? congelata & aquis Stygis in Arcadia fontis frigidiores, quam potæ suo frigore mox hominem enecare dicuntur; quæ ferrum etiam corrodunt, & nullo alio vasculo, quam cornu pedi mule detracto conservari, aut alio deportari possunt, quarum frigore ipse Alexander Magnus à nonnullis putatur peremptus. A deo friget nostra charitas, ut hæc eius qualitas, mihi persuadeat finem mundi adesse; circa hoc enim tempus futurum prædixit Saluator, *Tunc refrigescet charitas multorum.*

**Matt. 24.** Heu! quid propter amorem Dei patimur? non frigus, non calorem, non famem, non sitim, non ieiunia vigiliarum aut quatuor temporum, non abstinentiam unius diei: O quantum abest, ut æqualia ipse rependentes, sanguinem nostrum pro ipso profundamus? *Quando cum Apostolo dicemus, Quis nos se-*

*parabit*

parabis à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an  
 fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gla-  
 dius? certus sum quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq;  
 principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq;  
 fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia  
 poterit nos separare à charitate Dei qua est in Christo Iesu  
 Domino nostro. Quando cruces & martyria, vt nonnul-  
 limartyres, inquiremus? quando leones ad nos de-  
 norandum cum S. Ignatio prouocabimus? Et quid  
 pro proximo facimus? vbi bona & fidelia nostra con-  
 silia: vbi mutuum absq; vsura, aut spe lucri? quando  
 discordes conciliare nitimur? quando errantes ani-  
 mas in rectam viam reducere studemus? quando cap-  
 tos consolamur, aut redimimus? Qui in carcere, aut  
 miseria est, frustra auxilium aut libertatem pristinam  
 sperat; adeo amor proximi elanguit. Hic autem de-  
 fectus charitatis, fidem instar putentis cadaueris infi-  
 cit. *fides sine operibus mortua est.* Vera hominis Christi-  
 ani definitio est, quod sit vna imago Iesu Christi, an-  
 gelus terrestris, homo cœlestis, incarnatus quasi  
 Deus, compendium virtutum, encyclopedia perfe-  
 ctionum, longe aliam quam pagani vitam viuens;  
 nam vt Hieronymus ait, *inter Christianum & gentilem  
 non fides tantum debet, sed etiam vita distinguere; & di-  
 uersam religionem per diuersa opera monstrare.* Sed nunc  
 pro dolor plurimi sunt vera imago Sathanæ, diabo-  
 li terrestris, luciferi incarnari, baptizati Turcæ, redi-  
 uiui pagani, vitiorum mancipia, omnium sordium  
 sentina, deniq; *Struma urbis & orbis.* Imago Dei &  
 Iesu Christi omnino derita & abolita est; adeo vt si  
 Christus ipse ad nos rediret & interrogaretur cuius  
 est imago hac? *super scriptio?* non auderet respondere  
*Caesaris,* Dei inquam, totius mundi Monarchæ, nisi  
 eam de nouo animæ nostræ in sculpetet.

Hieron.  
 ep. ad  
 Celant.

Nihil superbius, nihil magis immisericos & in cle-  
 mens, nihil gulosius, nihil quærelisus & vindictæ  
 magis appetens, quam quidam inter nos Christiani:  
 Impossibile videtur nobis absq; contentionibus, al-  
 tercationibus & bellis viuere, etiam cum domesticis  
 eius.

eiusdem fidei, cum tamen simus discipuli *Dei pacis*,  
*Principis pacis*; peiores sane Paganis & Barbaris; nam  
 apud quosdam populos Hyperboreos ut dicitur, nun-  
 quā discordia oritur; inter ipsos Turcas nostro mag-  
 no dāno altissima pax est, cum inter ipsos Christiani.  
 vix aliud sonet quā bella cōtinua, bella quasi heredi-  
 taria, sed & maximū Relig. Christianæ dedecus, cum  
 magna imminutione famæ & honoris nostri, cum  
 dissipatione patrimonij Ies. Chri. quod ipsi hæredes  
 profuderunt. Vere dicere licebit Syderiten lapillum  
 quidē exiguū, pessimē tamē proprietatis, utpote qui  
 cōtinuo apud illos ad quos defertur discordias gene-  
 rat, collo Principū Christian. appēsū gestari: Dicere  
 licebit in omnib<sup>9</sup> illorū comitijs & nuptijs Bellonā  
 pomū Iridis seu discordiarū seminare. An non ergo  
 quoad distātiā dissimilitudinis lōge à Chri. abiam?  
*Cum adhuc longe esset: Quid de distātia intellectus dicat?*  
 Proh dolor diversimodo de ipsē credim<sup>9</sup> & iudicam<sup>9</sup>  
 cū tamē moneat nos Paulus dicēs, *Hoc enim sentio in*  
*vobis quod est in Chr. Iesu:* Sed an bene cōsulēti obreper-  
 ram<sup>9</sup>? Nō, quod laudat, dānam<sup>9</sup>; quod dānat lauda-  
 m<sup>9</sup> cōtradictione spiritus intolerabili. *Va qui dicitur*  
*malū bonum est bonū malū.* Si erroneis nostris opinio-  
 nib<sup>9</sup> opponatur Euangeliū Christ. mox respōdebitur  
 hæc dicta esse *in illo tempore*, tūc scilicet cū hæc ita fie-  
 rēt aut fieri deberēt: quasi verō Chri. diuina sua pro-  
 uidētia nō omnia tēpora & circūstātijs præuidisset;  
 quasi verō solū sui tēporis homines Chri. docuisset, &  
 nō nos & posteros nostros vsq; ad cōsumationē seculi;  
 quasi verō Euang. suū instar Kalēdarij alicuius pro-  
 vno tantū vel pauculis annis ordinasset. Præterea de  
 nulla cōtrouersia modo tā acriter quā de Euang. Ies.  
 Chri. disputatur: si Christ. ad nos denuo rediret, sine  
 dubio multo plures cōtradictores experiretur quam  
 vnquā, & veri<sup>9</sup> de illo diceretur, *Hic positus est in signū*  
*eius contradicetur.* Cū in omnib<sup>9</sup> nostris cōtrouersijs  
 sufficere deberet illud discipulorum Pythagoræ, *ipsi*  
*dicite*; nos tamē cōtra apertas Christi decisiones in o-  
 pinione pertinaciter hærem<sup>9</sup>: maior itaq; apud gen-  
 tiles

Vide

Picin. l. 2.

Nat. Hist.

cap. 21.

tilis Pythagoras, quam apud Christianos Chri. habe-  
 batur; nā de illo scribit Cicero dicēs, *Tantū opinio pra-*  
*udicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas.*  
 Cur quæsiō apud nos nō tāti fit auctoritas Christi quā  
 Herou apud Platonē in Timeo de quibus scribit, *Fa-*  
*lii Deorum absq; ulla demonstratione credandū est* Pro  
 dolor verisimium est. Nunc Antichristi sunt multi, nec  
 disputatione opus est, an dentur Antipodes, eū videamus  
 quotidie tot directe Chri oppositos, & ab altera  
 parte diametri ambulātes, iudicādo, docēdo & viuē-  
 do cōtrario modo quā ipse Chri. seferit, docuerit, &  
 vixerit: & taliū magnus apud nos numerus est, *cum*  
*adhuc longe esset.* Verū adhuc alij reperiūtur qui quā-  
 vis in veritate & iudicijs de Deo & diuinis Chri, pro-  
 pinqui sint, in sua existimatione per humilitatē longe  
 absur, & hi magnā laudē merētur. Talis tēpore Chri  
 era Publicanus ille qui cū inflato illo Phariseo in tē-  
 plū oraturus ascenderat, de quo Script. *Publicanus à*  
*legisians, volebat nec oculos ad cælū leuare; sed percutiebat*  
*pectus suū, dicens: Deus, propitius esto mihi misero peccatori.*  
 Talis erat S. Petr. cū aiebat, *Recede à me Domine, quia*  
*peccator sum* Talis S. Paul. qui post tot virtutum hero-  
 icarum opera toties ab ipso iterata dicebat. *Non arbi-*  
*tror me comprehēdisse, & Nihil mihi conscius sū, sed non in-*  
*bocustificatus sū.* Talis specialiter S. Pater noster Frac.  
 qui dicere solebat, *Incipiamus, fratres, seruire Domino*  
*Deo nostro, quia vsq; nūc parū profecimus.* Et vt verū fa-  
 teamur, talis à Chri. elongatio vera ad ipsum approxi-  
 matio est, via regia & vent<sup>9</sup> secūdus, qui & citissimè &  
 rectissimè ad ipsum nos ducit: Vt enim in sciētia mul-  
 tum profecit, qui cum Socrate dicit, *Vnū scio quod nihil*  
*scio,* quia talis appetitu sciendi adhuc stimulat<sup>9</sup> quoti-  
 die aliquid noui addiscit; ita etiā in virtutum semita  
 magnos progressus fecit, & ad quāuis virtutē optime  
 disposit<sup>9</sup> est, qui cū oēs desideret, nullam tamē earū  
 perfecte se assecurū fatetur; è cōtra autē illi retro la-  
 bātur, qui putāt se sufficiēter progressos, ideoq; substi-  
 stūt, nā vt quidā S. Pat. ait, in via Dei nō progredi re-  
 gredi est. & Sene, *Puro multos potuisse ad sapiētia perueni-*  
*re, nisi putas-*

Lib. 1. de  
nat. Deor.

Boman. in  
vita  
c. 24.

putassent se pervenisse. Thalys erat Thraconicus ille  
Pharisæus, qui omnia sua peccata & imperfectiones  
cæco oculo præteriens, suorum bonorum operum  
longum catalogum superbe contexit, *Non sum sicut  
ceteri &c.* Ieiuno bis in Sabbatho, decimas de omni-  
um quæ possideo &c.

Amici Auditores, si etiam nos simus inter illos qui  
à Christo elongantur, rogemus Deum suam gratiam,  
qua adiuti per amorem & morum similitudinem ad  
ipsum proxime accedamus: & cum ei sua gratia &  
nostra cooperatione proximi fuerimus, per timorem  
& humilitatem nos maxime longinquos reputemus,  
ita ut hæc humilis de nobis ipsis opinio, & prudens  
ignorantia omnes quas hæcenus obtinuimus per-  
fectiones geminet: *Vericus hic,*

*Non melius te filium facies dignum, quam si te semper  
constitearis indignum.*

### CONCIO TERTIA.

<i>Græcè</i>	Thema. Εἶδεν αὐτὸν ὁ πατὴρ αὐτοῦ, καὶ ἐπλαγχνίσθη.
<i>Vulgata</i>	Vidit illum Pater ipsius, & misericordia motus est.
<i>Syriacè</i>	Vidit eum Pater ipsius, & misertus est eius.

### Argumentum.

- I. Iuxta textum græcum Pater vidit & agnovit filium,  
quomodo eum tria ab hac agnitione impedire po-  
tuisent.
- II. Deum multos oculos habere clarè videntes; & quid  
profit hoc credere & sapius cogitare.
- III. Quomodo Deus dextro seu benigno oculo nos aspi-  
ciat. *Auc.*

*Iuxta*